

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0277

0275

0281

0271

0286

0266

0326

0226

0376

0176

0776

Ende

Anfang

265

dedit legionibus cum fulgurante hasta, ut redirent et insultum
denuo iterarent, et ita dato signo nusquam comparuit: nec
dubium, quod Michael princeps christiani exercitus fuerit,
vel ut Legenda Lomb. dicit, sanctus Georius miles erat, resus-
citatus in adjutorium exercitus christiani, sicut olim Mercurius
contra Julianum Apostamat et ejus exercitum fuit resuscitatus,
ut ecclesiastica habet historia. Quo signo viso noster exhila-
ratus est exercitus et majori animo ad impugnationem rediit
urbis tanto fervore animorum, ut qui fessi et laboribus fracti
ac vulneribus laesi et debiles prius operam subtraxerant,
nunc receptis animis ultrō se offerentes instabant animosius.
Tantaque excitata est in castris nostrorum laetitia, ut jam
quasi certi de victoria infra unius horae spatium vallo com-
planato et effracto antemurali ad moenia machinas propinquias
duxerunt, sub quibus se continerent, ne lapidibus de muris
jactatis tangi possent, et de quibus ipsi ad murum accedere
possent. Illo enim tempore nondum inventum fuerat terribile
bombardarum tormentum, quod quidam, ut dicitur, theutonicus
adinvenerit circa annum Christi 1360., sed solum machinas ad
jactandum saxa grandia habebant. Fecerant autem nostri
bellatores grandem sportam et altam, quasi castellum, et eam
terra et lapidibus repleverant, et quicumque retro eam stabat,
securus erat a missilibus de muris extantibus et stabat sporta
vel praesidium illud super rotas et ductilis erat. Hoc ergo
praesidium paene usque ad murum admoverunt. Porro hostes
procerae magnitudinis arbores ad murum suspenderant, ut
machinarum ictus eliderent, quarum duas nostri, qui erant in
praedicto praesidio vel castello praecisis funibus, quibus erant
ligatae, dejecerunt ad terram. Quo cognito dux Gothfridus
qui in ea parte urbem impugnabat, sursum in castellum dictas
trabes ferri praecepit, quibus ex una parte in machina et
altera super murum locatis vicem pontis praebuit. Ponte
igitur sic ordinato primus omnium vir illustris dux Gothfridus
cum fratre suo Eustachio ingressus est urbem, post quos
multi alii secuti sunt, et stabant super murum extensis ve-
xillis cruce signatis tubisque concrepantes ad advocandum
legiones. Quod hostes videntes muros et turres deseruerunt,
et omnes armati (B) eorum ad atrium templi, quod dicitur

